



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Victorinus Conf. 8. Iunij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

insuffrantem à magni sceleris apparatu abduxit, fatentem postea certum sibi fuisse, nuptiales ludos jurgiis, & multâ caede finire, nisi à ROBERTO esset interpellatus. Sub annum M. C. LIX. mortuum Godricus familiaris ejus ignei globi specie à tribus Angelis inferri caelo vidit, allatrantibus ponè stygiis larvis. Plusquam caninâ impudentiâ, utique fatalis praedae spem neque illo rerum articulo deposuerunt. Nobis quid fiet, qui nunc his beluis colludimus, & neque fuscinam satis, neque sportam predatoriam tinemus? *Ex Surio.*

Cogitatio omnis secularis & carnalis tempore orationis abscedat, nec quidquam animus, quàm id solum cogitet, quod precatur. Claudatur contra adversarium peccatus, & soli Deo patens nec ad se hostem Dei tempore orationis patiaturs accedere. S. Cyprian. de orat. Dom.

S. VICTORINVS. CONF. 8. Junij.

Rectè olim pronunciatum est, utcumque rara sit inter homines innocentia, plures esse, qui ab eâ nunquam diverterint, quàm qui seriò reverterint. His ramen tam paucis VICTORINVM accenseas licet magnum poenitentiae miraculum. Romæ natus cum Severino fratre Camerinum discesserat, tutissimum vitae genus, vitato omni humano consortio, aggressus: sed quod mihi asylum dabis, quod non daemones improbitas perrumpat? Is vultum habitumque feminae mentitus nocte in tempesta VICTORINI tugurium auresque lamentis opplevit, dignaretur tecto ultima pericula metuentem, neque praedam se feris objiceret. Peccaturus in humanitatem sibi VICTORINVS videbatur, si ad has preces obsurduisset. Recipit ergo daemone hospitio, sed sub larva tam bella latentem,
ut

ut ille hominum osor hujus amore captus sit
 Conflagrantem facibus foedæ cupiditatis perso-
 nata lena deseruit, intellexitque miserrimus ama-
 tor, qualis illecebra Deum sibi mentemque cri-
 puisset. Ius deinde sibimet dixit, immissaque in-
 tra diffisilæ arboris rimas manu, revullis cuneis,
 arcæ iterum coeunte trunco inasitato cippo mi-
 serabilis se captivus induit; stetitque sic affixus
 triennium integrum; Dominicis duntaxat diebus
 panem & aquam è Severini manibus libare solli-
 tus; cum demum jubente Camerinensi Episcopo,
 emortuam ab inaudito carcere manum, utique
 conciliato Numine, recepit. Audite peccatores.
 VICTORINVS momentum unum trienni supplicio
 vindicavit; nos avo continuo peccamus, & vix
 momento respiscimus. *Ex Phil. Ferrar.*

*Inanis est penitentiã, quam sequens culpa coin-
 quinat: nihil profunt lamenta, si replicentur peccata.
 Nihil valet de malis veniam postulare & mala de no-
 vo iterare. S. August. in soliloq.*

S. MEDARDVS E P. 8. Iunij.

Nolit fortasse à Gildardo gemello suo sejungi
 MEDARDVS, cum quo ita communia habuit
 omnia, ut eodem die ambo nati, ambo denati, am-
 bo sacris infulis induti sint: leges tamen hic seor-
 sim de MEDARDI pueritiã paucula, de Gildardo
 paria cogitabis. In splendoribus opes natus unicum
 earum usum noverat, liberalitatem. Prætextam
 suam cæco largitus, ad matrem propè nudus re-
 currit, gestiens quòd tantillã veste Christum in-
 duisset. Equorum custodiam cum ultrò sibi de-
 poposcisset, unius abducendi copiam regno via-
 tori fecit; cujus jacturam cum pater acerbè ferret,
 gregem